



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 80. Bellum Helvetiis denuntiandi obtentus a Burgundo quæsitus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

hoc consilio Joannes Cossa, amicus ipsi ^{Sæcul. XV.}
 in paucis carus, & Magnus Provinciæ ^{A.C. 1475.}
 Seneschallus dimovit, prout in progressu
 historiæ perspicimus.

§. LXXX.

*Bellum Helvetiis demuntiandi obtentus
 a Burgundo quæsitus.*

Ut ampla, atque magna illa consilia ad
 exitum deduceret, nil reliquum Bur-
 gundo esse videbatur, quam ut sibi per
 Helvetiam transitum aperiret, inde in
 Mediolanensem Ducatum penetraturus.
 Ast nisi Helvetiis bellum indiceret, rem
 e sententia haud quaquam successuram
 prospexerat. Nec deerat huic consilio
 opportuna occasio, atque prætextus mul-
 tum vero similis, eoquod Helvetii paulo
 ante Burgundum ex Comitatu Ferretano
 propulsassent. Nihilominus neglecto hoc-
 ce obtentu longe magis infirmum, ausim
 dicere, ridiculum selegit: contigit enim,
 quod quidam Helveticæ gentis Merca-
 tor, cum currum pellibus vervicum onu-
 stum per Vaudum transveheret, vectigal,
 eoquod plus æquo exigeretur, pendere re-
 cusasset. Hic, cum ei pelles detineren-
 tur, & currum provehere prohiberetur,
 de injuria apud Helvetios conqueritur.
 Eo tempore Vaudensis Regio parebat Ja-
 cobo Remontio Comiti ex Sabaudorum
 M m 5 stirpe

Sæcul. XV.
A.C. 1476.

*Chateau-
Guyon.*

stirpe orto, necnon Castri-Guionis Toparchæ, qui Principis Arausionensis frater erat: Hos ergo adeunt Helvetii, damnumque, ac iniustitiæ Mercatori illatæ compensationem ab ambobus hisce dominis efflagitant. His vero satisfacere reuoluentibus, Helvetii armis instructi primo Vaudensis Prætoris curiam invadunt, demum quasdam arces occupant, easque in debiti pignus obsident. Burgundus hac occasione fretus, utriusque Domini causam in se suscipit, eisque opem pollicetur adeo promptam, ut Nancejo urbe capta mox promissi fidem exsolveret.

Helvetii viribus suis diffisi, mitiora ceperunt consilia, litemque tam amplis conditionibus componere conati sunt, ut eas rejici vix vero simile videretur; offerrebant enim, se supplicum more a Duce pacem, atque amicitiam exoratos, omnibusque exteris foederibus missuros nuntium. Spondebant insuper, quod Duci sex millia armatorum suppeditare, ac denique Remontio, ac Castro-Guyoni, prout æquum justumque visum fuerit, satisfacere velint. Ast Helvetiorum Deputati surdas pulsarunt aures, Burgundo eos armis petere parato.

§. LXXXI